

præsertim practicis, in quibus à tempore benè multo versatissimus erat, studia Auditorum juvit & promovit, hoc ipso de tota Academia præclarissimè meritis. Rectoratus officium sustinendo quinquies, scil. Anno 1634. 1640. 1642. 1645. 1654. Decanatus verò pluries, ad commodum Academiae promovendum semper intentus fuit. Neque hisce solum in hanc Academiam meritis contentus fuit, quin plura eidem & fortè majora officia præstitit, Syndicatum, uti vocant, Academiae gerens. Quemadmodum enim status tum ejus sic satis turbulentus fuit: Ità conjici facili momento potest, quanta hujus Viri in eandem merita exstiterint, utpote cui ejus pro salute ac commodis excubandum fuerat. Eum enim in finem Syndicum eà sibi habere peculiarem tunc temporis solebat. Ut autem brevis sim, plura non addo, solâ Verborum ex cit. Cl. Dn. Præsidis mei *Commentatione* repetitione contentus. Ità autem ille: *Per universum huncce Ducatum in Statu tam Ecclesiastico, quam Politico Magni illius Viri maxima se merita diffundunt, qui curarum se ac laborum vicium semper exhibuit exemplar. Neque tot licet laborum oneribus onustus, defatigatum se, antequam extremam attingeret senectutem, conquestus unquam auditus fuit. Quin potius laborem labore pulsare & merita meritis cumulare ad extremam ferè aetatem usque perrexerit.* Quod si etiam in filiis suis de publica re benè mereri Parentes possunt, dum ità educari eos curant, ut eximia illi præstare officia queant, sanè *Henr. noster Schuckmannus* de Academia nostra longè optimè meritis est, qui eidem duos ex se procreatos dedit Professores, alterum Theologum, *Herm. Schuckmannum*, cujus meritis immortalibus nomen immortale evasit, alterum *Jctum, Conr. Schuckmannum*, qui aliquot per annos Professore hic maximo cum applausu Vicarium egit, quemque utrumque suos ipse Pater salutavit Collegas. Quoniam verò de his agi nostrum non permittit institutum, prolixè etiam illorum Vitas descripsit in *alleg. Comment. Liter.* prælaudatus *Dn. M. Epinus*, recensitis simul eorum scriptis, nihil nunc addo, quam *B. Henr. Schuckmanni*, Westphali, (de quo etiam nonnulla apud *Witten. Diar. Biogr. Tom. I. ad Ann. 1656.* leguntur) eo, quo in dicta *Comment.* extant ordine, scripta, quæ sunt:

1. *Disp. inaug. Præs. D. R. B. Ectio de Sententia & re judicata, Heidebb, 1614.* 2. *De*

E

Excep